

1539

aut Griti postulatis cederent ; classem ad Neocastrum recuperandum mitterent ; Ascrivium , Nauplium , Corcyram a Republica peterent : ut quo majoribus difficultatibus negotium implicaretur , eo magis Respublica Regis opem imploraret , ac tandem ipse controversias cunctas dirimeret , ingentique beneficio sibi Venetos devinctos a Cæsar is foedere , atque amicitia revocaret . His a Grito cognitis , quamvis de communibus induciis desperaret , atque quamplurima concordiae cum Republica sancienda objici impedimenta cerneret ; nullis tamen difficultatibus perterritus , audentior factus , Bassam ingentibus pollicitis aggreditur , ut nisi inducias cum foederatis impetraret , saltem pacem cum Republica obtineret : tantumque staudendo , adhortando , pollicendo profecerat , ut illius animum flexisse videretur , nisi fructum , quem ex tot laboribus speraverat , immaturus Ajacis obitus intercepisset . His de rebus Gratus Senatum certiore fecerat , simulque Patres admonuerat , ut classem omni bellico apparatu instructam in promptu haberent ; oppida , ac loca munita , militum præsidiis auctis , diligentiori custodia tuerentur ; nulli rei , aut sumptui parcerent ; cuncta ad bellum expedirent ; hanc hostes ad pacem allicendi tutam viam esse .

Interea vexillum Byzantii Chariadeno tributum fuerat . Is magno studio tum remige , tum propugnatoribus classem , quæ centum ac quinquaginta navigiorum numero constabat , instruxerat , majorumque tormentorum ingentem vim invehi jussferat , binis magnis onerariis navibus , quas *mabonas* vocabant , adjectis , tormentario apparatu , atque aliis in usus belli referatis . Ulamanes Persa terrestribus copiis præfectus est , qui bellica virtute , pluribus editis militaribus facinoribus , inclaruerat . His viribus Turcas Neocastrum aggressuros crebris rumoribus ferebatur ; neque deerant , qui dicerent , Nauplium , aut Ascrivium petituros . Ambiguo igitur , atque incerto eorum , quæ Byzantii agerentur , exitu , atque Chariadeni ex Hellesponto cum classe egressu , Senatus permotus , acriori cura ad apparatus belli conversus , triremes veteres refici , novas ædificari mandavit ; ut vigintiquinque accurate in urbe exornarentur , decrevit ; in id navalium sociorum ad quatuor millium delegatum haberi jussit ; ea lege , ut statis diebus triremes ingressi

Ajacis su-
premi Bassæ
obitus.

Ulamanes
Persa copiis
terrestribus
a Suleima-
no perfici-
tur.

Venetorum
belli appa-
ratus.